

Pliny and the Roman Encyclopedia

Latin
Reader



First page from the Editio Princeps of the Pliny's "Historia Naturalis" printed by Johann of Speyer. Venice, 1469. Bibliothèque Nationale de France, Réserve des livres rares, VELINS-493

The following is a reader for the whole semester. All assignments and exams will be taken from this document. By the end of the semester, you should have read all of these texts and be able to translate them without a dictionary. All texts are 1,5-spaced to allow extensive annotations (for vocabulary and grammar). You should make use of that but try to never write down finished translations (or if you do feel you would benefit from writing them out, then at least try not to use them in class). This is not meant to put you on the spot when you translate in class, but rather to ensure that our meetings don't merely consist of us reading out polished translations to each other. It will make our way through the reader a bit slower but get us much closer to our goal of understanding Latin texts in Latin.

Try to make use of the commentary!

Table of Contents

Pliny the Younger on his Uncle's Work.....	5
Pliny the Elder: Letter to the Emperor (abbreviated).....	9
Pliny the Elder's <i>Natural History</i>	11
Book 2, Chapter 1: The Nature of the World	11
Book 2, Chapter 2: The Shape of the World.....	11
Book 2, Chapter 3: The World is turning	12
Book 2, Chapter 4: The Elements, The Planets, & The Sun.....	12
Book 2, Chapter 6: Astrology is Foolish	13
Book 2, Chapter 39: The Effects of Stars	13
Book 2, Chapter 45: Science in Peace and War.....	14
Book 2, Chapter 55: Thunder and Lightning.....	14
Book 2, Chapter 63: Humans exploit the Earth.....	15
Book 2, Chapter 65: Do People in The Other Hemisphere Stand on Their Heads?.....	15
Book 2, Chapter 68: The Zones of the Inhabitable World.....	16
Book 2, Chapter 73: Time Zones.....	16
Book 2, Chapter 80: Effects of Climate on People	16
Book 3, Chapter 5: Italy & Rome.....	17
Book 4, Chapter 12: The Hyperboreans	18
Book 5, Chapter 1: Africa	19
Book 5, Chapter 16: The Dead Sea & its People.....	19
Book 6, Chapter 20: China	20
Book 6, Chapter 24: Sri Lanka	20
Book 7, Chapter 1: The Human Condition.....	22
Book 7, Chapter 2: On Curious Humans	23
Book 7, Chapter 3–8: On Human Sexuality and Procreation	26
Book 7, Chapter 19–20: Exceptional Attributes in People	27
Book 7, Chapter 24: Memory.....	28
Book 7, Chapter 50: Live is short, Fortunately (?)	28
Book 7, Chapter 59: The Invention of Shaving	29
Book 8, Chapter 1–10: Elephants	29
Book 8, Chapter 30–34: Fantastic Beasts and Where to Find Them	30
Book 9, Chapter 53–58: Luxury and Pearls.....	32
Book 13, Chapter 21–26: History of Writing & the Invention of Papyrus	33
Celsus, <i>De medicina</i> : Proem.....	35
Pliny's <i>Natural History</i>	37
Book 26, Chapter 28: Medicine and Pharmacology	37
Book 30, Chapter 1–17: Magic	37
Book 35, Chapter 1–36: Painting	39

Pliny the Younger on his Uncle's Work

Gaius Plinius Caecilius Secundus (aka Pliny the Younger), the nephew of Pliny the Elder, writes to a curious friend about the miraculous amount of writing that his uncle was able to produce although he had a very busy professional life as a public servant, commander, and close confidant of the Emperor Vespasian. He had to develop an extraordinary method to achieve this:

C. PLINIUS BAEBIO MACRO SUO S.

Pergratum est mihi quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas, ut habere omnes velis quaerasque qui sint omnes. Fungar indicis partibus, atque etiam quo sint ordine scripti notum tibi faciam; est enim haec quoque studiosis non iniucunda cognitio.

'De iaculatione equestri unus' hunc cum praefectus alae militaret, pari ingenio curaque composuit.

'De vita Pomponi Secundi duo' a quo singulariter amatus hoc memoriae amici quasi debitum munus exsolvit.

'Bellorum Germaniae viginti' quibus omnia quae cum Germanis gessimus bella collegit. Incohavit cum in Germania militaret, somnio monitus: astitit ei quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniae latissime victor ibi periit, commendabat memoriam suam orabatque ut se ab iniuria oblivionis assereret.

'Studiosi tres' in sex volumina propter amplitudinem divisi, quibus oratorem ab incunabulis instituit et perficit.

'Dubii sermonis octo' scripsit sub Nerone novissimis annis, cum omne studiorum genus paulo liberius et erectius periculosum servitus fecisset.

'A fine Aufidi Bassi triginta unus.'

'Naturae historiarum triginta septem', opus diffusum eruditum, nec minus varium quam ipsa natura.

Miraris quod tot volumina multaque in his tam scrupulosa homo occupatus absolverit? Magis miraberis si scieris illum aliquamdiu causas actitasse, decessisse anno sexto et quinquagensimo, medium tempus distentum impeditumque qua officiis maximis qua amicitia principum egisse. Sed erat acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia.

Lucubrare Vulcanalibus incipiebat non auspicandi causa sed studendi statim a nocte multa, hieme vero ab hora septima vel cum tardissime octava, saepe sexta. Erat sane somni paratissimi, non numquam etiam inter ipsa studia instantis et deserentis. Ante lucem ibat ad

Vespasianum imperatorem - nam ille quoque noctibus utebatur -, inde ad delegatum sibi officium. Reversus domum quod reliquum temporis studiis reddebat. Post cibum saepe - quem interdum levem et facilem veterum more sumebat - aestate si quid otii iacebat in sole, liber legebatur, adnotabat excerpebatque. Nihil enim legit quod non excerperet; dicere etiam solebat nullum esse librum tam malum ut non aliqua parte prodesset. Post solem plerumque frigida lavabatur, deinde gustabat dormiebatque minimum; mox quasi alio die studebat in cenae tempus. Super hanc liber legebatur adnotabatur, et quidem cursim. Memini quendam ex amicis, cum lector quaedam perperam pronuntiasset, revocasse et repeti coegisse; huic avunculum meum dixisse: 'Intellexeras nempe?' Cum ille adnuisset, 'Cur ergo revocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus.'

Tanta erat parsimonia temporis. Surgebat aestate a cena luce, hieme intra primam noctis et tamquam aliqua lege cogente.

Haec inter medios labores urbisque fremitum. In secessu solum balinei tempus studiis eximebatur - cum dico balinei, de interioribus loquor; nam dum destringitur tergiturque, audiebat aliquid aut dictabat. In itinere quasi solutus ceteris curis, huic uni vacabat: ad latus notarius cum libro et pugillaribus, cuius manus hieme manicis muniebantur, ut ne caeli quidem asperitas ullum studii tempus eriperet; qua ex causa Romae quoque sella vehebatur. Repeto me correptum ab eo, cur ambulares: 'poteras' inquit 'has horas non perdere'; nam perire omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impenderetur. Hac intentione tot ista volumina peregit electorumque commentarios centum sexaginta mihi reliquit, opisthographos quidem et minutissimis scriptos; qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipse potuisse se, cum in Hispania, vendere hos commentarios Larcio Licino quadringentis milibus nummum; et tunc aliquanto pauciores erant.

Nonne videtur tibi recordanti, quantum legerit quantum scripserit, nec in officiis ullis nec in amicitia principis fuisse; rursus cum audis quid studiis laboris impenderit, nec scripsisse satis nec legisse? Quid est enim quod non aut illae occupationes impedire aut haec instantia non possit efficere? Itaque soleo ridere cum me quidam 'studiosum' vocant, qui si comparer illi sum desidiosissimus. Ego autem tantum, quem partim publica partim amicorum officia dstringunt?

quis ex istis, qui tota vita litteris assident, collatus illi non quasi somno et inertiae deditus erubescat?

Extendi epistulam cum hoc solum quod requirebas scribere destinassem, quos libros reliquisset; confido tamen haec quoque tibi non minus grata quam ipsos libros futura, quae te non tantum ad legendos eos verum etiam ad simile aliquid elaborandum possunt aemulationis stimulis excitare.

Vale.

Pliny the Elder: Letter to the Emperor (abbreviated)

PLINIUS SECUNDUS VESPASIANO SUO S

Libros *Naturalis Historiae*, novicium Camenis Quiritium tuorum opus, natos apud me proxima fetura licentiore epistula narrare constitui tibi, “iucundissime” Imperator (sit enim haec tui praefatio, verissima, dum “maximi” consenescit in patre):

*namque tu solebas
nugas esse aliquid meas putare*

Sed haec quis possit intrepidus aestimare subiturus ingenii tui iudicium, praesertim lacessitum? neque enim similis est condicio publicantium et nominatim tibi dicantium. tum possem dicere: ‘Quid ista legis, Imperator? humili vulgo scripta sunt, agricolarum, opificum turbae, denique studiorum otiosis. quid te iudicem facis? cum hanc operam condicerem, non eras in hoc albo. maiorem te sciebam, quam ut descensurum huc putarem.’

Te quidem in excelsissimo generis humani fastigio positum, summa eloquentia, summa eruditione praeditum, religiose adiri etiam a salutantibus scio, et ideo curant, quae tibi dicantur ut digna sint. verum dis lacte rustici multaeque gentes et mola litant salsa qui non habent tura, nec ulli fuit vitio deos colere quoquo modo posset.

Meae quidem temeritati accessit hoc quoque, quod levioris operae hos tibi dedicavi libellos. nam nec ingenii sunt capaces, quod alioqui in nobis perquam mediocre erat, neque admittunt excessus aut orationes sermonesve aut casus mirabiles vel eventus varios, iucunda dictu aut legentibus blanda sterili materia:

rerum natura, hoc est vita, narratur, et haec sordidissima sui parte ac plurimarum rerum aut rusticis vocabulis aut externis, immo barbaris etiam, cum honoris praefatione ponendis.

praeterea iter est non trita auctoribus via nec qua peregrinari animus expetat. nemo apud nos qui idem temptaverit, nemo apud Graecos, qui unus omnia ea tractaverit. magna pars studiorum amoenitates quaerimus; quae vero tractata ab aliis dicuntur immensae subtilitatis, obscuris rerum tenebris premuntur. ante omnia attingenda quae Graeci τῆς ἐγκυκλίου παιδείας vocant,

et tamen ignota aut incerta ingeniis facta; alia vero ita multis prodita, ut in fastidium sint adducta.

res ardua vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam et naturae suae omnia. itaque etiam non assecutis voluisse abunde pulchrum atque magnificum est. Equidem ita sentio, peculiarem in studiis causam eorum esse qui difficultatibus victis utilitatem iuvandi praetulerunt gratiae placendi.

Viginti milia rerum dignarum cura — quoniam, ut ait Domitius Piso, thesauros oportet esse, non libros — lectione voluminum circiter duorum milium, quorum pauca admodum studiosi attingunt propter secretum materiae, ex exquisitis auctoribus centum inclusimus triginta sex voluminibus, adiectis rebus plurimis, quas aut ignoraverant priores aut postea invenerat vita.

nec dubitamus multa esse quae et nos praeterierint. homines enim sumus et occupati officiis subsicivisque temporibus ista curamus, id est nocturnis, ne quis vestrum putet his cessatum horis. dies vobis inpendimus, cum somno valetudinem computamus, vel hoc solo praemio contenti, quod, dum ista, ut ait M. Varro, muginamur, pluribus horis vivimus. profecto enim vita vigilia est. quibus de causis atque difficultatibus nihil auso promittere.

argumentum huius stomachi mei habebis quod in his voluminibus auctorum nomina praetexui. est enim benignum, ut arbitror, et plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris, non ut plerique ex iis, quos attigi, fecerunt. scito enim conferentem auctores me deprehendisse a iuratissimis et proximis veteres transcriptos ad verbum neque nominatos... obnoxii profecto animi et infelicitis ingenii est deprehendi in furto malle quam mutuum reddere, cum praesertim sors fiat ex usura.

Quia occupationibus tuis publico bono parcendum erat, quid singulis contineretur libris, huic epistolae subiunxi summaque cura, ne legendos eos haberes, operam dedi. tu per hoc et aliis praestabis ne perlegant, sed, ut quisque desiderabit aliquid, id tantum quaerat et sciat quo loco inveniatur.

Pliny the Elder's *Natural History*

Book 2, Chapter 1: The Nature of the World

Mundum et hoc quodcumque nomine alio caelum appellare libuit, cuius circumflexu teguntur cuncta, numen esse credi par est, aeternum, inensum, neque genitum neque interitum umquam. huius exera indagare nec interest hominum nec capit humanae coniectura mentis.

sacer est, aeternus, immensus, totus in toto, immo vero ipse totum, infinitus ac finito similis, omnium rerum certus et similis incerto, extra intra cuncta complexus in se, idemque rerum naturae opus et rerum ipsa natura.

furor est mensuram eius animo quosdam agitasse atque prodere ausos, alios rursus occasione hinc sumpta aut his data innumerabiles tradidisse mundos, ut totidem rerum naturas credi oporteret aut, si una omnes incubaret, totidem tamen soles totidemque lunas et cetera etiam in uno et inmensa et innumerabilia sidera, quasi non eadem quaestiones semper in termino cogitationi sint occurrentes desiderio finis alicuius aut, si haec infinitas naturae omnium artificum possit adsignari, non idem illud in uno facilius sit intellegi, tanto praesertim opere.

furor est profecto, furor egredi ex eo et, tamquam interna eius cuncta plane iam nota sint, ita scrutari exera, quasi vero mensuram ullius rei possit agere qui sui nesciat, aut mens hominis videre quae mundus ipse non capiat.

Book 2, Chapter 2: The Shape of the World

Formam eius in speciem orbis absoluti globatam esse nomen in primis et consensus in eo mortalium orbem appellantium, sed et argumenta rerum docent, non solum quia talis figura omnibus sui partibus vergit in sese ac sibi ipsa toleranda est seque includit et continet nullarum egens compagium nec finem aut initium ullis sui partibus sentiens, nec quia ad motum, quo subinde verti mox adparebit, talis aptissima est, sed oculorum quoque probatione, quod convexus mediusque quacumque cernatur, cum id accidere in alia non possit figura.

Book 2, Chapter 3: The World is turning

Hanc ergo formam eius aeterno et inrequieto ambitu, inenarrabili celeritate, viginti quattuor horarum spatio circumagi solis exortus et occasus haut dubium reliquere. an sit inmensus et ideo sensum aurium excedens tantae molis rotatae vertigine adsidua sonitus, non equidem facile dixerim, non, Hercule, magis quam circumactorum simul tinnitus siderum suosque volventium orbes an dulcis quidam et incredibili suavitate concentus. nobis qui intus agimus iuxta diebus noctibusque tacitus labitur mundus.

esse innumeras ei effigies animalium rerumque cunctarum inpressas nec, ut in volucrum notamus ovis, levitate continua lubricum corpus, quod clarissimi auctores dixere, terrenorum argumentis indicatur, quoniam inde deciduis rerum omnium seminibus innumerae, in mari praecipue ac plerumque confusis monstrificae, gignantur effigies, praeterea visus probatione, alibi ursi, tauri alibi, alibi litterae figura, candidiore medio per verticem circulo.

equidem et consensu gentium moveor; namque et Graeci nomine ornamenti appellavere eum et nos a perfecta absolutaque elegantia mundum. caelum quidem haut dubie caelati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro.

Book 2, Chapter 4: The Elements, The Planets, & The Sun

Nec de elementis video dubitari quattuor esse ea: ignium summum, inde tot stellarum illos conluentium oculos; proximum spiritus, quem Graeci nostrique eodem vocabulo aera appellant, vitalem hunc et per cuncta rerum meabilem totoque consertum; huius vi suspensam cum quarto aquarum elemento librari medio spatii tellurem.

ita mutuo complexu diversitatis effici nexum et levia ponderibus inhiberi quo minus evolent, contraque gravia ne ruant suspendi, levibus in sublime tendentibus. sic pari in diversa nisu in suo quaeque consistere, inrequieto mundi ipsius constricta circuitu, quo semper in se recurrente imam atque mediam in toto esse terram, eandemque universo cardine stare pendentem, librantem per quae pendeat, ita solam immobilem circa eam volubili universitate; eandem ex omnibus necti eidemque omnia inniti.

inter hanc caelumque eodem spiritu pendent certis discreta spatiis septem sidera, quae ab incessu vocamus errantia, cum errent nulla minus illis. eorum medius sol fertur, amplissima magnitudine ac potestate nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum caelique rector.

hunc esse mundi totius animum ac planius mentem, hunc principale naturae regimen ac numen credere decet opera eius aestimantes. hic lucem rebus ministrat aufertque tenebras, hic reliqua sidera occultat, inlustrat; hic vices temporum annumque semper renascentem ex usu naturae temperat; hic caeli tristitiam discutit atque etiam humani nubila animi serenat; hic suum lumen ceteris quoque sideribus fenerat, praeclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, ut principi litterarum Homero placuisse in uno eo video.

Book 2, Chapter 6: Astrology is Foolish

Hinc redeamus ad reliqua naturae. sidera, quae adfixa diximus mundo, non illa, ut existimat volgus, singulis attributa nobis et clara divitibus, minora pauperibus, obscura defectis ac pro sorte cuiusque lucentia adnumerata mortalibus, cum suo quaeque homine orta moriuntur nec aliquem exstingui decidua significant. non tanta caelo societas nobiscum est, ut nostro fato mortalis sit ibi quoque siderum fulgor.

Book 2, Chapter 39: The Effects of Stars

Tempestatum imbriumque quasdam statas esse causas, quasdam vero fortuitas aut adhuc rationis inconspertae, manifestum est. quis enim aestates et hiemes quaeque in temporibus annua vice intelleguntur siderum motu fieri dubitet? ergo ut solis natura temperando intellegitur anno, sic reliquorum quoque siderum propria est cuiusque vis et ad suam cuique naturam fertilis. alia sunt in liquorem soluti umoris fecunda, alia concreti in pruinas aut coacti in nives aut glaciati in grandines, alia flatus, teporis alia aut vaporis, alia roris, alia rigoris. nec vero haec tanta debent existimari, quanta cernuntur, cum esse eorum nullum minus luna tam inmensae altitudinis ratio declaret.

Book 2, Chapter 45: Science in Peace and War

viginti amplius auctores Graeci veteres prodidere de his observationes. quo magis miror orbe discordi et in regna, hoc est in membra, diviso tot viris curae fuisse tam ardua inventu, inter bella praesertim et infida hospitia, piratis etiam, omnium mortalium hostibus, transituros fama terrentibus, ut hodie quaedam in suo quisque tractu ex eorum commentariis, qui numquam eo accessere, verius noscat quam indigenarum scientia, nunc vero pace tam festa, tam gaudente proventu rerum artiumque principe, omnino nihil addisci nova inquisitione, immo ne veterum quidem inventa perdisci.

non erant maiora praemia, in multos dispersa fortunae magnitudine, et ista plures sine praemio alio quam posteros iuvandi eruerunt. namque mores hominum senuere, non fructus, et immensa multitudo aperto, quodcumque est, mari hospitalique litorum omnium adpulsu navigat, sed lucri, non scientiae, gratia. nec reputat caeca mens et tantum avaritiae intenta id ipsum scientia posse tutius fieri. quapropter scrupulosius, quam instituto fortassis conveniat operi, tractabo ventos, tot milia navigantium cernens.

Book 2, Chapter 55: Thunder and Lightning

Fulgetrum prius cerni quam tonitrua audiri, cum simul fiant, certum est, nec mirum, quoniam lux sonitu velocior, ictum autem et sonitum congruere ita modulante natura, sed sonitum profecti esse fulminis non inlati, etiamnum spiritum ociores fulmine, ideo quati prius omne et adflari quam percuti, nec quemquam tangi qui prior viderit fulmen aut tonitrua audierit. laeva prospera existimantur, quoniam laeva parte mundi ortus est. nec tamen adventus spectatur quam reditus, sive ab ictu resilit ignis sive opere confecto aut igne consumpto spiritus remeat.

Book 2, Chapter 63: Humans exploit the Earth

[...] verum fateamur: terra nobis malorum remedium genuit, nos illud vitae facimus venenum. non enim et ferro, quo carere non possumus, simili modo utimur? nec tamen quereremur merito, etiamsi maleficii causa tulisset. adversus unam quippe naturae partem ingrati sumus. quas non ad delicias quasque non ad contumelias servit homini? in maria iacitur aut, ut freta admittamus, eroditur. aquis, ferro, igni, ligno, lapide, fruge omnibus cruciatur horis multoque plus, ut deliciis quam ut alimentis famuletur nostris.

ut tamen quae summa patitur atque extrema cute tolerabilia videantur: penetramus in viscera, auri argentique venas et aeris ac plumbi metalla fodientes, gemmas etiam et quosdam parvulos quaerimus lapides scrobibus in profundum actis. viscera eius extrahimus, ut digito gestetur gemma, quo petitur. quot manus atteruntur, ut unus niteat articulus! si ulli essent inferi, iam profecto illos avaritiae atque luxuriae cuniculi refodissent. et miramur, si eadem ad noxam genuit aliqua?

ferae enim, credo, custodiunt illam arcentque sacrilegas manus. non inter serpentes fodimus et venas auri tractamus cum veneni radicibus? placatiore tamen dea ob haec, quod omnes hi opulentiae exitus ad scelera caedesque et bella tendunt, quodque sanguine nostro rigamus insepultisque ossibus tegimus, quibus tamen velut expurgato furore tandem ipsa se obducit et scelera quoque mortalium occultat.

Inter crimina ingrati animi et hoc duxerim quod naturam eius ignoramus.

Book 2, Chapter 65: Do People in The Other Hemisphere Stand on Their Heads?

Ingens hic pugna litterarum contraque vulgi, circumfundi terrae undique homines conversisque inter se pedibus stare, et cunctis similem esse verticem, simili modo et quacumque parte media calcari, illo quaerente, cur non decidant contra siti, tamquam non ratio praesto sit, ut nos non decidere mirentur illi. intervenit sententia quamvis indocili probabilis turbae, inaequali globo, ut si sit figura pineae nucis, nihilo minus terram undique incoli.

Book 2, Chapter 68: The Zones of the Inhabitable World

[...] nam cum sint eius quinque partes, quas vocant zonas, infesto rigore et aeterno gelu premitur omne, quicquid est subiectum duabus extremis utrimque circa vertices, hunc, qui trionum septem vocatur, eumque, qui adversus illi austrinus appellatur. perpetua caligo utrobique et alieno molliorum siderum adspectu maligna ac pruinā tantum albicans lux. verum media terrarum, qua solis orbita est, exusta flammis et cremata comminus vapore torretur. circa duae tantum inter exustam et rigentes temperantur eaeque ipsae inter se non perviae propter incendium siderum.

ita terrae tres partes abstulit caelum.

Book 2, Chapter 73: Time Zones

Ideo nec nox diesque, quamvis eadem, toto orbe simul est, oppositu globi noctem aut ambitu diem adferente. multis hoc cognitum experimentis, in Africa Hispaniaque turrium Hannibalis, in Asia vero propter piraticos terrores simili specularum praesidio excitato, in quis praenuntios ignes sexta hora diei accensos saepe conpertum est tertia noctis a tergo ultimis visos. eiusdem Alexandri cursor Philonides ex Sicyone Elin mille et ducenta stadia novem diei confecit horis indeque, quamvis declivi itinere, tertia noctis hora remensus est saepius. causa, quod eunti cum sole iter erat, eundem remeans obvium contrario praetervertebat occursum. qua de causa ad occasum navigantes, quamvis brevissimo die, vincunt spatia nocturnae navigationis, ut solem ipsum comitantes.

Book 2, Chapter 80: Effects of Climate on People

Contexenda sunt his caelestibus nexa causis. namque et Aethiopas vicini sideris vapore torreri adustisque similes gigni, barba et capillo vibrato, non est dubium, et adversa plaga mundi candida atque glaciali cute esse gentes, flavis promissas crinibus, truces vero ex caeli rigore has, illas mobilitate sapientes, ipsoque crurum argumento illis in supera sucum revocari natura

vaporis, his in inferas partes depelli umore deciduo; hic graves feras, illic varias effigies animalium provenire et maxime alitum [in multas figuras igni volucres]; corporum autem proceritatem utrobique, illic ignium nisu, hic umoris alimento;

medio vero terrae salubri utrimque mixtura fertiles ad omnia tractus, modicos corporum habitus magna et in colore temperie, ritus molles, sensus liquidos, ingenia fecunda totiusque naturae capacia, isdem imperia, quae numquam extimis gentibus fuerint, sicut ne illae quidem his paruerint, avolsae ac pro numine naturae urgentis illas solitariae.

Book 3, Chapter 5: Italy & Rome

Italia dehinc primique eius Ligures, mox Etruria, Umbria, Latium, ubi Tiberina ostia et Roma terrarum caput, XVI p. intervallo a mari. Volscum postea litus et Campaniae, Picentium inde ac Lucanum Bruttiumque, quo longissime in meridiem ab Alpium paene lunatis iugis in maria excurrit Italia. ab eo Graeciae ora, mox Sallentini, Paedicali, Apuli, Paeligni, Frentani, Marrucini, Vestini. Sabini, Picentes, Galli, Umbri, Tusci, Veneti, Carni. Iapudes, Histri, Liburni. nec ignoro ingrati ac segnis animi existimari posse merito si obiter atque in transcurso ad hunc modum dicatur terra omnium terrarum alumna eadem et parens, numine deum electa quae caelum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia ritusque molliret et tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia et humanitatem homini daret, breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. sed quid agam? tanta nobilitas omnium locorum,—quos quis attigerit?—tanta rerum singularum populorumque claritas tenet. urbs Roma vel sola in ea ... et digna iam tam festa cervice facies, quo tandem narrari debet opere! qualiter Campaniae ora per se felixque illa ac beata amoenitas, ut palam sit uno in loco gaudentis opus esse naturae! iam vero tanta ea vitalis ac perennis salubritas, talis caeli temperies, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii saltus, tam opaca nemora, tam munifica silvarum genera, tot montium adflatus, tanta frugum vitiumque et olearum fertilitas, tam nobilia pecudi vellera, tam opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas totam eam perfundens, tot maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens undique et tamquam iuvandos ad mortales ipsa avide in maria procurrens. neque ingenia ritusque ac viros

et lingua manuque superatas commemoro gentes. ipsi de ea iudicare Grai, genus in gloriam suam effusissimum, quodam partem ex ea appellando Graeciam Magnam!

nimirum id quod in caeli mentione fecimus hac quoque in parte faciendum est, ut notas quasdam et pauca sidera attingamus. legentes tantum quaeso meminerint ad singula toto orbe edissertanda festinari...

Book 4, Chapter 12: The Hyperboreans

Mox Ripaei montes et adsiduo nivis casu pinnarum similitudine Pterophoros appellata regio, pars mundi damnata a rerum natura et densa mersa caligine, neque in alio quam rigoris opera gelidisque Aquilonis conceptaculis. pone eos montes ultraque Aquilonem gens felix (si credimus), quos Hyperboreos appellavere, annoso degit aevo, fabulosis celebrata miraculis. ibi creduntur esse cardines mundi extremique siderum ambitus semenstri luce et una die solis aversi, non, ut imperiti dixere, ab aequinoctio verno in autumnum: semel in anno solstitio oriuntur iis soles, brumaeque semel occidunt. regio aprica felici temperie, omni adflatu noxio carens. domus iis nemora lucique, et deorum cultus viritim gregatimque, discordia ignota et aegritudo omnis. mors non nisi satietate vitae, epulatis delibutoque senio luxu, e quadam rupe in mare salientibus: hoc genus sepulturae beatissimum.

quidam eos in prima parte Asiae litorum posuere, non in Europa, quia sunt ibi simili consuetudine et situ Attacorum nomine; alii medios fecere eos inter utrumque solem, antipodum occasus exorientemque nostrum, quod fieri nullo modo potest tam vasto mari interveniente. qui non alibi quam in semenstri luce constituere eos, serere matutinis, meridie metere, occidente fetus arborum decerpere, noctibus in specus condi tradiderunt. nec licet dubitare de gente ea: tot auctores produnt frugum primitias solitos Delum mittere Apollini, quem praecipue colunt. virgines ferebant eas hospitibus gentium per annos aliquot venerabiles, donec violata fide in proximis accolarum finibus deponere sacra ea instituere, hique ad conterminos deferre, atque ita Delum usque. mox et hoc ipsum exolevit.

Book 5, Chapter 1: Africa

Africam Graeci Libyam appellavere et mare ante eam Libycum. Aegypto finitur; nec alia pars terrarum pauciores recipit sinus longe ab occidente litorum obliquo spatio. populorum eius oppidorumque nomina vel maxime sunt ineffabilia praeterquam ipsorum linguis; et alias castella ferme inhabitant.

Principio terrarum Mauretaniae appellantur, usque ad C. Caesarem Germanici filium regna, saevitia eius in duas divisae provincias. promunturium Oceani extremum Ampelusius nominatur a Graecis. oppida fuere Lissa et Cotte ultra columnas Herculis, nunc est Tingi quondam ab Antaeo conditum, postea a Claudio Caesare, cum coloniam faceret, appellatum Traducta Iulia; abest a Baelone oppido Baeticae proximo traiectu XXX. ab eo XXV in ora Oceani colonia Augusti Iulia Constantia Zulil, regum ditioni exempta et iura in Baeticam petere iussa. ab ea XXXV colonia a Claudio Caesare facta Lixos, vel fabulosissime antiquis narrata: ibi regia Antaei certamenque cum Hercule, et Hesperidum horti. adfunditur autem aestuarium e mari flexuoso meatu, in quo draconis custodiae instar fuisse nunc interpretantur; amplectitur intra se insulam, quam solam e vicino tractu aliquanto excelsiore non tamen aestus maris inundant, exstat in ea et ara Herculis nec praeter oleastros aliud ex narrato illo aurifero nemore. minus profecto mirentur portentosa Graeciae mendacia de his et amne Lixo prodita qui cogitent nostros nuperque paulo minus monstrifica quaedam de iisdem tradidisse, praevalidam hanc urbem maioremque Magna Carthagine, praeterea ex adverso eius sitam et prope inmenso tractu ab Tingi, quaeque alia Cornelius Nepos avidissime credit.

Book 5, Chapter 16: The Dead Sea & its People

Asphaltites nihil praeter bitumen gignit, unde et nomen. nullum corpus animalium recipit, tauri camelique fluitant; inde fama nihil in eo mergi. longitudine excedit C p., latitudine maxima LXXV implet, minima XI. prospicit eum ab oriente Arabia Nomadum, a meridie Machaerus, secunda quondam arx Iudaeae ab Hierosolymis. eodem latere est calidus fons medicae salubritatis Callirroe aquarum gloriam ipso nomine praeferens.

Ab occidente litora Esseni fugiunt usque qua nocent, gens sola et in toto orbe praeter ceteras mira, sine ulla femina, omni venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum. in diem ex aequo convenarum turba renascitur large frequentantibus quos vita fessos ad mores eorum fortuna fluctibus agitat. ita per seculorum milia (incredibile dictu) gens aeterna est in qua nemo nascitur: tam fecunda illis aliorum vitae paenitentia est!

Infra hos Engada oppidum fuit, secundum ab Hierosolymis fertilitate palmetorumque nemoribus, nunc alterum bustum. inde Masada castellum in rupe et ipsum haut procul Asphaltite. et hactenus Iudaea est.

Book 6, Chapter 20: China

primi sunt hominum qui vocantur Seres, Ianicio silvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem, unde geminus feminis nostris labos redordiendi fila rursusque texendi: tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur ut in publico matrona traluceat. Seres mites quidem, sed et ipsi feris similes coetum reliquorum mortalium fugiunt, commercia exspectant. primum eorum noscitur flumen Psitharas, proximum Cambari, tertium Lanos, a quo promunturium Chryse, sinus Cirnaba, flumen Atianos, sinus et gens hominum Attacorarum, apricis ab omni noxio adflatu seclusa collibus, eadem qua Hyperborei degunt temperie; de iis privatim condidit volumen Amometus, sicut Hecataeus de Hyperboreis. ab Attacoris gentis Thuni et Focari, et, iam Indorum, Casiri introrsus ad Scythas versi—humanis corporibus vescuntur; Nomades quoque Indiae vagantur huc. Aliqui ab aquilone contingi ab ipsis et Ciconas dixere et Brisaros.

Book 6, Chapter 24: Sri Lanka

Taprobanen alterum orbem terrarum esse diu existimatum est Antichthonum appellatione: ut insulam esse liqueret Alexandri Magni aetas resque praestitere. Onesicritus classis eius praefectus elephantos ibi maiores bellicosioresque quam in India gigni scripsit; Megasthenes flumine dividi, incolasque Palaeogonos appellari, auri margaritarumque grandium fertiliores

quam Indos. Eratosthenes et mensuram prodidit, longitudinis $\overline{\text{VII}}$ stadium, latitudinis $\overline{\text{V}}$, nec urbes esse sed vicos DCC. incipit ab Eoo mari inter ortum occasumque solis Indiae praetenta et quondam credita XX dierum navigatione a Prasiana gente distare, mox, quia papyraceis navibus armamentisque Nili peteretur, ad nostrarum navium cursus VII dierum intervallo taxata. mare interest vadosum, senis non amplius altitudinis passibus, sed certis canalibus ita profundum ut nullae anchorae sidant: ob id navibus utrimque prorae, ne per angustias alvei circumagi sit necesse; magnitudo ad terna milia amphorum. siderum in navigando nulla observatio— septentrio non cernitur; volucres secum vehunt emittentes saepius, meatumque earum terram petentium comitantur. nec plus quaternis mensibus anno navigant: cavent a solstitio maxime centum dies, tunc illo mari hiberno.

Hactenus a priscis memorata. nobis diligentior notitia Claudii principatu contigit legatis etiam ex ea insula advectis. id accidit hoc modo: Anni Plocami, qui Maris Rubri vectigal a fisco redemerat, libertus circa Arabiam navigans aquilonibus raptus praeter Carmaniam, XV die Hippuros portum eius invectus, hospitali regis clementia sex mensum tempore inbutus adloquio percontanti postea narravit Romanos et Caesarem. mirum in modum in auditis iustitiam ille suspexit, quod parvis pondere denarii essent in captiva pecunia, cum diversae imagines indicarent a pluribus factos. et hoc maxime sollicitatus ad amicitiam legatos quattuor misit principe eorum Rachia. ex his cognitum D esse oppida, portum contra meridiem adpositum oppido Palaesimundo omnium ibi clarissimo ac regio, $\overline{\text{CC}}$ plebis. stagnum intus Megisba $\overline{\text{CCXXXV}}$ p. ambitu, insulas pabuli tantum fertiles complexum; ex eo duos amnes erumpere, Palaesimundum iuxta oppidum eiusdem nominis influentem in portum tribus alveis, quinque stadiorum artissimo, xv amplissimo, alterum ad septentriones Indiamque versum, Cydara nomine. proximum esse Indiae promunturium quod vocetur Coliacum, quadridui navigatione medio in cursu Solis insula occurrente; mare ibi colore perviridi, praeterea fruticosum arboribus, iubas earum gubernaculis detergentibus.

Septentriones Vergiliasque apud nos veluti in novo caelo mirabantur, ne lunam quidem apud ipsos nisi ab octava in XVI supra terram aspici fatentes, Canopum lucere noctibus, sidus ingens et clarum. sed maxime mirum iis erat umbras suas in nostrum caelum cadere, non in suum, solemque ab laeva oriri et in dextram occidere potius quam e diverso. iidem narravere latus insulae quod praetenderetur Indiae $\overline{\text{X}}$ stadiorum esse ab oriente hiberno; ultra montes Hemodos

Seras quoque ab ipsis aspici notos etiam commercio: patrem Rachiae commeasse eo: advenis sibi Seras occurrere. ipsos vero excedere hominum magnitudinem, rutilis comis, caeruleis oculis, oris sono truci, nullo commercio linguae. cetera eadem quae nostri negotiatores: fluminis ulteriore ripa merces positae iuxta venalia tolli ab iis si placeat permutatio, non aliter odio iustiore luxuriae quam si perducta mens illuc usque cogitet quid et quo petatur et quare.

Sed ne Taprobane quidem, quamvis extra orbem a natura relegata, nostris vitiis caret: aurum argentumque et ibi in pretio, marmor testudinis simile, margaritae gemmaeque in honore; multo praestantior est totus luxuriae nostra cumulus. ipsorum opes maiores esse dicebant, sed apud nos opulentiae maiorem usum: servom nemini, non in diem aut interdum somnum, aedificia modice ab humo exstantia, annonam numquam augeri, non fora litesve esse, coli Herculem, eligi regem a populo senecta clementiaque liberos non habentem, et si postea gignat, abdicari, ne fiat hereditarium regnum. rectores ei a populo XXX dari, nec nisi plurimum sententia quemquam capitis damnari; sic quoque appellationem esse ad populum et septuaginta iudices dari; si liberent ii reum, amplius XXX iis nullam esse dignationem, gravissimo probro. regi cultum Liberi Patris, ceteris Arabum. regem, si quid delinquat, morte multari, nullo interimente, aversantibus cunctis et commercia etiam sermonis negantibus. festa venatione absumi: gratissimam eam tigribus elephantisque constare. agros diligenter coli, vitis usum non esse, pomis abundare. esse et in piscatu voluptatem, testudinum maxime, quarum superficie familias habitantium contegi: tanta reperiri magnitudine. vitam hominum centum annis modicam.

Book 7, Chapter 1: The Human Condition

Pliny finished his description of the world and moves on to the animal kingdom, starting with the human, who he believes to occupy the central position, albeit a rather precarious one:

Principium iure tribuetur homini, cuius causa videtur cuncta alia genuisse natura magna, saeva mercede contra tanta sua munera, ut non sit satis aestimare, parens melior homini an tristior noverca fuerit. ante omnia unum animantium cunctorum alienis velat opibus, ceteris varie tegimenta tribuit, testas, cortices, spinas, coria, villos, saetas, pilos, plumam, pinnae, squamas,

vellera; truncos etiam arboresque cortice, interdum gemino, a frigoribus et calore tutata est: hominem tantum nudum et in nuda humo natali die abicit ad vagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud pronius ad lacrimas, et has protinus vitae principio; at Hercule risus praecox ille et celerrimus ante XL diem nulli datur. ab hoc lucis rudimento quae ne feras quidem inter nos genitas vincula excipiunt et omnium membrorum nexus; itaque feliciter natus iacet manibus pedibusque devinctis flens, animal ceteris imperaturum, et a suppliciis vitam auspicatur unam tantum ob culpam, quia natum est. heu dementiam ab his initiis existimantium ad superbiam se genitos!

Prima roboris spes primumque temporis munus quadripedi similem facit. quando homini incessus! quando vox! quando firmum cibus os! quam diu palpitans vertex, summae inter cuncta animalia inbecillitatis indicium! iam morbi, totque medicinae contra mala excogitatae, et hae quoque subinde novitatibus victae! et cetera sentire naturam suam. alia pernicitatem usurpare, alia praepetes volatus, alia nare: hominem nihil scire nisi doctrina, non fari, non ingredi, non vesci, breviterque non aliud naturae sponte quam flere! itaque multi extitere qui non nasci optimum censerent aut quam ocissime aboleri. uni animantium luctus est datus, uni luxuria et quidem innumerabilibus modis ac per singula membra, uni ambitio, uni avaritia, uni inmensa vivendi cupido, uni superstitio, uni sepulturae cura atque etiam post se de futuro. nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido maior, nulli pavor confusior, nulli rabies acrior. denique cetera animantia in suo genere probe degunt: congregari videmus et stare contra dissimilia – leonum feritas inter se non dimicat, serpentium morsus non petit serpentis, ne maris quidem beluae ac pisces nisi in diversa genera saeviunt: at Hercule homini plurima ex homine sunt mala.

Book 7, Chapter 2: On Curious Humans

Esse Scytharum genera, et quidem plura, quae corporibus humanis vescerentur indicavimus—id ipsum incredibile fortasse ni cogitemus, in medio orbe terrarum [ac Sicilia et Italia] fuisse gentes huius monstri, Cyclopas et Laestrygonas, et nuperrime trans Alpibus hominem immolari gentium earum more solitum, quod paulum a mandendo abest. [...]

Super alios autem anthropophagos Scythas in quadam convalle magna Imavi montis regio est quae vocatur Abarimon, in qua silvestres vivunt homines aversis post crura plantis, eximiae velocitatis, passim cum feris vagantes. hos in alio non spirare caelo ideoque ad finitimos reges non pertrahi neque ad Alexandrum Magnum pertractos Baeton itinerum eius mensor prodidit. priores Anthropophagos, quos ad septentrionem esse diximus, decem dierum itinere supra Borysthenen amnem, ossibus humanorum capitum bibere cutibusque cum capillo pro mantelibus ante pectora uti Isigonus Nicaeensis. idem in Albania gigni quosdam glauca oculorum acie, pueritia statim canos, qui noctu plus quam interdiu cernant. idem itinere dierum tredecim supra Borysthenen Sauromatas tertio die cibum capere semper. [...]

Supra Nasamonas confinesque illis Machlyas androgynos esse utriusque naturae inter se vicibus coeuntes Calliphanes tradit. Aristoteles adicit dextram mammam iis virilem, laevam muliebrem esse. in eadem Africa familias quasdam effascinantium Isigonus et Nymphodorus tradunt, quorum laudatione intereant prata, arescant arbores, emoriantur infantes. esse eiusdem generis in Triballis et Illyris adicit Isigonus qui visu quoque effascinent interimantque quos diutius intueantur, iratis praecipue oculis; quod eorum malum facilius sentire puberes; notabilius esse quod pupillas binas in singulis habeant oculis. huius generis et feminas in Scythia, quae Bitiae vocantur, prodit Apollonides, Phylarchus et in Ponto Thibiorum genus multosque alios eiusdem naturae, quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam in altero equi effigiem, eosdem praeterea non posse mergi, ne veste quidem degravatos. haut dissimile his genus Pharmacum in Aethiopia Damon, quorum sudor tabem contactis corporibus efferat. [...]

quorundam corpori partes nascuntur ad aliqua mirabiles, sicut Pyrro regi pollex in dextro pede, cuius tactu lienosis medebatur; hunc cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt, conditumque loculo in templo.

Praecipue India Aethiopumque tractus miraculis scatent. maxima in India gignuntur animalia: indicio sunt canes grandiores ceteris. arbores quidem tantae proceritatis traduntur ut sagittis superiaci nequeant et [facit ubertas soli, temperies caeli, aquarum abundantia], si libeat credere, ut sub una fico turmae condantur equitum; harundines vero tantae proceritatis ut singula internodia alveo navigabili ternos interdum homines ferant. multos ibi quina cubita constat longitudine excedere, non expuere, non capitis aut dentium aut oculorum ullo dolore adfici, raro

aliarum corporis partium: tam moderato solis vapore durari; philosophos eorum, quos gymnosophistas vocant, ab exortu ad occasum perstare contuentes solem immobilibus oculis, ferventibus harenis toto die alternis pedibus insistere. in monte cui nomen est Nulo homines esse aversis plantis octonos digitos in singulis habentes auctor est Megasthenes, in multis autem montibus genus hominum capitibus caninis ferarum pellibus velari, pro voce latratum edere, unguibus armatum venatu et aucupio vesci; horum supra CXX fuisse prodente se. Ctesias scribit et in quadam gente Indiae feminas semel in vita parere genitosque confestim canescere; idem hominum genus qui Monocoli vocentur singulis cruribus mirae pernecitatis ad saltum, eosdem Sciapodas vocari, quod in maiori aestu humi iacentes resupini umbra se pedum protegant; non longe eos a Trogodytis abesse, rursusque ab his occidentem versus quosdam sine cervice oculos in umeris habentes. sunt et satyri subsolanis Indorum montibus (Catarcludorum dicitur regio), perniciosissimum animal, iam quadripedes, iam recte currentes humana effigie; propter velocitatem nisi senes aut aegri non capiuntur. Choromandarum gentem vocat Tauron silvestrem, sine voce, stridoris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis. [...]

Megasthenes gentem inter Nomadas Indos narium loco foramina tantum habentem anguium modo, loripedem, vocari Sciritas. ad extremos fines Indiae ab oriente circa fontem Gangis Astomorum gentem sine ore, corpore toto hirtam, vestiri frondium lanugine, halitu tantum viventem et odore quem naribus trahant; nullum illis cibum nullumque potum, radicum tantum florumque varios odores et silvestrium malorum, quae secum portant longiore itinere ne desit olfactus; graviore paulo odore haut difficulter exanimari.

[...] Super hos ... Pygmaei (esse) narrantur ... quos a gruibus infestari Homerus quoque prodidit. fama est insidentes arietum caprarumque dorsis armatos sagittis veris tempore universo agmine ad mare descendere et ova pullosque earum alitum consumere, ternis expeditionem eam mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti; casas eorum luto pinnisque et ovorum putaminibus construi. Aristoteles in cavernis vivere Pygmaeos tradit, cetera de his ut reliqui. Cynos Indorum genus Isigonus annis centenis quadragenis vivere tradit, item Aethiopas Macrobios et Seras existimat et qui Athon montem incolant, hos quidem quia viperinis carnibus alantur, itaque nec capiti nec vestibis eorum noxia corpori inesse animalia. [...]

Haec atque talia ex hominum genere ludibria sibi, nobis miracula, ingeniosa fecit natura. et singular quidem quae facit in dies ac prope horas quis enumerare valeat? ad detegendam eius potentiam satis sit inter prodigia posuisse gentes. hinc ad confessa in homine pauca.

Book 7, Chapter 3–8: On Human Sexuality and Procreation

Gignuntur et utriusque sexus quos Hermaphroditos vocamus, olim androgynos vocatos et in prodigiis habitos, nunc vero in deliciis. [...]

Ex feminis mutari in mares non est fabulosum. invenimus in annalibus P. Licinio Crasso C. Cassio Longino coss. Casini puerum factum ex virgine sub parentibus, iussuque harispicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mucianus prodidit visum a se Argis Arescontem, cui nomen Arescusae fuisset, nupsisse etiam, mox barbam et virilitatem provenisse uxoremque duxisse; eiusdem sortis et Zmyrnae puerum a se visum. ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Constitium civem Thysdritanum. . . editis geminis raram esse aut puerperae aut puerperio praeterquam alteri vitam, si vero utriusque sexus editi sint gemini, rariorem utrique salutem; feminas celerius gigni quam mares, sicuti celerius senescere; saepius in utero moveri mares, et in dextera fere geri parte, in laeva feminas.

Ceteris animantibus statum et pariendi et partus gerendi tempus est: homo toto anno et incerto gignitur spatio, alius septimo mense, alius octavo et usque ad initium undecimi; ante septimum mensem haut umquam vitalis est. septimo non nisi pridie posterove pleniluni die aut interlunio concepti nascuntur. tralaticium in Aegypto est et octavo gigni, iam quidem et in Italia tales partus esse vitales contra priscorum opiniones. variant haec pluribus modis. [...]

A conceptu decimo die dolores capitis, oculorum vertigines tenebraeque, fastidium in cibis, redundatio stomachi indices sunt hominis inchoati. melior color marem ferenti et facilius partus, motus in utero quadragensimo die. contraria omnia in altero sexu, ingestabile onus, crurum et inguinis levis tumor, primus autem XC die motus. sed plurimum languoris in utroque sexu capillum germinante partu et in plenilunio, quod tempus editos quoque infantes praecipue infestat. adeoque incessus atque omne quicquid dici potest in gravida refert, ut salsioribus cibis

usae carentem unguiculis partum edant, et si respiravere difficiliter enitantur; oscitatio quidem in enixu letalis est, sicut sternuisse a coitu abortivum.

Miseret atque etiam pudet aestimantem quam sit frivola animalium superbissimi origo, cum plerisque abortus causa odor a lucernarum fiat extinctu. his principiis nascuntur tyranni, his carnifex animus. tu qui corporis viribus fidis, tu qui fortunae munera amplexaris et te ne alumnum quidem eius existimas sed partum, tu cuius imperatoria est mens, tu qui te deum credis aliquo successu tumens, tantine perire potuisti? atque etiam hodie minoris potes, quantulo serpentis ictus dente, aut etiam ut Anacreon poeta acino uvae passae, aut ut Fabius Senator praetor in lactis haustu uno pilo strangulatus. is demum profecto vitam aequa lance pensitabit qui semper fragilitatis humanae memor fuerit.

Iam illa vulgata sunt: varie ex integris truncos gigni, ex truncis integros eademque parte truncos; signa quaedam naevosque et cicatrices etiam regenerari, quarto partu aliquorum originis nota in brachio reddita.

Book 7, Chapter 19–20: Exceptional Attributes in People

Ferunt Crassum avum Crassi in Parthis interempti numquam risisse, ob id Agelastum vocatum, sicuti nec flesse multos, Socratem clarum sapientia eodem semper visum vultu, nec aut hilario magis aut turbato. exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam torvitatemque naturae duram et inflexibilem, affectusque humanos adimit, quales ἀπαθείς Graeci vocant multos eius generis experti, quodque mirum sit, auctores maxime sapientiae, Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum, Timonem, hunc quidem etiam in totius odium generis humani evectum. sed haec parva naturae insignia in multis varia cognoscuntur, ut in Antonia Drusi numquam expuisse, in Pomponio consulari poeta non ructasse. quibus natura concreta sunt ossa, qui sunt rari admodum, cornei vocantur.

Corpore vesco sed eximiis viribus Tritanum in gladiatorio ludo Samnitium armatura celebrem, filiumque eius militem Magni Pompei et rectos et transversos cancellatim toto corpore habuisse nervos, in brachiis etiam manibusque, auctor est Varro in prodigiosarum virium relatione, atque etiam hostem ab eo ex provocatione dimicantem inermi dextera superatum et postremo

correptum uno digito in castra tralatum. at Vinnius Valens meruit in praetorio divi Augusti centurio, vehicula cum culleis onusta donec exinanirentur sustinere solitus, carpenta adprehensa una manu retinere obnixus contra nitentibus iumentis, et alia mirifica facere quae insculpta monumento eius spectantur.

Book 7, Chapter 24: Memory

Memoria necessarium maxime vitae bonum cui praecipua fuerit haut facile dictu est tam multis eius gloriam adeptis. Cyrus rex omnibus in exercitu suo militibus nomina reddidit, L. Scipio populo Romano, Cineas Pyrrhi regis legatus senatui et equestri ordini Romae postero die quam advenerat. Mithridates duarum et viginti gentium rex totidem linguis iura dixit, pro contione singulas sine interprete adfatus. Charmadas quidam in Graecia quae quis exegerit volumina in bibliothecis legentis modo repraesentavit. ars postremo eius rei facta et inventa est a Simonide melico, consummata a Metrodoro Scepsio, ut nihil non iisdem verbis redderetur auditum. nec aliud est aeque fragile in homine: morborum et casus iniurias atque etiam metus sentit, alias particulatim, alias universa. ictus lapide oblitus est litteras tantum; ex praealto tecto lapsus matris et adfinium propinquorumque cepit oblivionem, alius aegrotus servorum etiam, sui vero nominis Messala Corvinus orator. itaque saepe deficere temptat ac meditatur vel quieto corpore et valido; somno quoque serpente amputatur, ut inanis mens quaerat ubi sit loci.

Book 7, Chapter 50: Live is short, Fortunately (?)

Quid quod aestimatione nocturnae quietis dimidio quisque spatio vitae suae vivit, pars aequa morti similis exigitur aut poenae, nisi contigit quies? nec reputantur infantiae anni qui sensu carent, non senectae in poenam vivacis, tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curae, totiens invocata morte ut nullum frequentius sit votum. natura vero nihil hominibus brevitae vitae praestitit melius. hebescent sensus, membra torpent, praemoritur visus, auditus, incessus, dentis etiam ac ciborum instrumenta, et tamen vitae hoc tempus adnumeratur. est ergo pro miraculo, et id solitarium reperitur exemplum Xenophili musici, centum et quinque annis vixisse

sine ullo corporis incommodo. at, Hercule, reliquis omnibus per singulas membrorum partes qualiter nullis aliis animalibus certis pestifer calor remeat horis aut rigor, neque horis modo sed et diebus noctibusque trinis quadrinisve, etiam anno toto. atque etiam morbus est aliquantis per sapientiam mori.

Book 7, Chapter 59: The Invention of Shaving

Sequens gentium consensus in tonsoribus fuit, sed Romanis tardior. in Italiam ex Sicilia venire post Romam conditam anno CCCCLIV adducere P. Titinio Mena, ut auctor est Varro; antea intonsi fuere. primus omnium radi cotidie instituit Africanus sequens. divos Augustus cultris semper usus est.

Book 8, Chapter 1–10: Elephants

Ad reliqua transeamus animalia et primum terrestria.

Maximum est elephans proximumque humanis sensibus, quippe intellectus illis sermonis patrii et imperiorum obedientia, officiorum quae didicere memoria, amoris et gloriae voluptas, immo vero quae etiam in homine rara, probitas, prudentia, aequitas, religio quoque siderum solisque ac lunae veneratio. auctores sunt in Mauretaniae saltibus ad quendam amnem cui nomen est Amilo nitescente luna nova greges eorum descendere ibique se purificantes sollemniter aqua circumspergi atque ita salutato sidere in silvas reverti vitulorum fatigatos prae se ferentes. alienae quoque religionis intellectu creduntur maria transitori non ante naves conscendere quam invitati rectoris iureiurando de reditu. visique sunt fessi aegritudine (quando et illas moles infestant morbi) herbas supini in caelum iacentes, veluti tellure precibus allegata. nam quod ad docilitatem attinet regem adorant, genua submitunt, coronas porrigunt. Indis arant minores, quos appellant nothos.

Romae iuncti primum subiere currum Pompei Magni Africano triumpho, quod prius India victa triumphante Libero patre memoratur. Procilius negat potuisse Pompei triumpho iunctos egredi porta. Germanici Caesaris munere gladiatorio quosdam etiam inconditos meatus edidere

saltantium modo. vulgare erat per auras arma iacere non auferentibus ventis atque inter se gladiatorios congressus edere aut lascivienti pyrriche concludere. postea et per funes incessere, lecticis etiam ferentes quaterni singulos puerperas imitantes, plenisque homine tricliniis accubitus iere per lectos ita libratissimis vestigiis ne quis potantium attingeretur.

Certum est unum tardioris ingenii in accipiendis quae tradebantur saepius castigatum verberibus eadem illa meditantem noctu repertum. mirum et adversis quidem funibus subire, sed maxime regredi, utique pronis. Mucianus III consul auctor est aliquem ex his et litterarum ductus Graecarum didicisse solitumque perscribere eius linguae verbis:

Ipse ego haec scripsi et spolia Celtica dicavi.

itemque se vidente Puteolis, cum advecti e nave egredi cogherentur, territospatio pontis procul a continente porrecti, ut sese longinquitatis aestimatione fallerent, aversos retrorsus isse.

Praedam ipsi in se expetendam sciunt solam esse in armis suis quae luba “cornua” appellat, Herodotus tanto antiquior et consuetudo melius “dentes.” quamobrem deciduos casu aliquo vel senecta defodiunt. hoc solum ebur est: cetero et in his quoque quae corpus intexit vilitas ossea; quamquam nuper ossa etiam in laminas secari coepere paenuria, etenim rara amplitudo iam dentium praeterquam ex India reperitur, cetera in nostro orbe cessare luxuriae. [...]

Et terram edisse iis tabificum est, nisi saepius mandant; devorant autem et lapides, truncos quidem gratissimo in cibatu habent, palmas excelsiores fronte prosternunt atque ita iacentium absumunt fructum. mandunt ore, spirant et bibunt odoranturque haud inproprie appellata manu. animalium maxime odere murem, et si pabulum in praesepio positum attingi ab eo videre fastidiunt.

Book 8, Chapter 30–34: Fantastic Beasts and Where to Find Them

Apud eosdem nasci Ctesias scribit quam “mantichoran” appellat, triplici dentium ordine pectinatim coeuntium, facie et auriculis hominis, oculis glaucis, colore sanguineo, corpore leonis, cauda scorpionis modo spicula infigentem, vocis ut si misceatur fistulae et tubae concentus, velocitatis magnae, humani corporis vel praecipue adpetentem. [...]

Asperrimam autem dixit feram “monocerotem,” reliquo corpore equo similem, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte cubitorum duum eminente. hanc feram vivam negant capi.

Apud Hesperios Aethiopas [...] fera appellatur “catoblepas,” modica alioqui ceterisque membris iners, caput tantum praegrave aegre ferens, id deiectum semper in terram, alias internicio humani generis, omnibus qui oculos eius videre confestim expirantibus.

Eadem et basilisci serpentis est vis. Cyrenaica hunc generat provincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula ut quodam diademate insignem. sibilo omnis fugat serpentes, nec flexu multiplici ut reliquae corpus inpellit sed celsus et erectus in medio incedens. necat frutices non contactos modo verum et adflatos, exurit herbas, rumpit saxa. aliis vis malo est: creditur quondam ex equo occisum hasta et per eam subeunte vi non equitem modo sed equum quoque absumptum. atqui huic tali monstro—saepe enim enectum concupivere reges videre—mustellarum virus exitio est: adeo naturae nihil placuit esse sine pare. iniciunt hos cavernis facile cognitis soli tabe; necant illae simul odore moriunturque, et naturae pugna conficitur.

Sed in Italia quoque creditur luporum visus esse noxius, vocemque homini quem priores contemplentur adimere ad praesens. inertes hos parvosque Africa et Aegyptus gignunt, asperos trucesque frigidior plaga. homines in lupos verti rursusque restitui sibi falsum esse confidenter existimare debemus aut credere omnia quae fabulosa tot saeculis conperimus; unde tamen ista volgo infixata sit fama in tantum ut in maledictis versipelles habeat indicabitur. Euanthes inter auctores Graeciae non spretus scribit Arcadas tradere ex gente Anthi cuiusdam sorte familiae lectum ad stagnum quoddam regionis eius duci vestituque in quercu suspenso tranare atque abire in deserta transfigurarique in lupum et cum ceteris eiusdem generis congregari per annos IX; quo in tempore si hominem se abstinerit, reverti ad idem stagnum et, cum tranaverit, effigiem recipere, ad pristinum habitum addito novem annorum senio, addit quoque fabulosius eandem recipere vestem! mirum est quo procedat Graeca credulitas: nullum tam inpudens mendacium est ut teste careat.

Book 9, Chapter 53–58: Luxury and Pearls

Sed quid haec tam parva commemoro, cum populatio morum atque luxuria non aliunde maior quam e concharum genere proveniat? iam quidem ex tota rerum natura damnosissimum ventri mare est tot modis, tot mensis, tot piscium saporibus quis pretia capientium periculo fiunt. sed quota haec portio est reputantibus purpuras, conchylia, margaritas! parum scilicet fuerat in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite totoque corpore a feminis iuxta virisque gestarentur. quid mari cum vestibus, quid undis fluctibusque cum vellere? non recte recipit haec nos rerum natura nisi nudos! esto, sit tanta ventri cum eo societas: quid tergori! parum est nisi qui vescimur periculis etiam vestiamur? adeo per totum corpus anima hominis quaesita maxime placent?

Principium ergo columenque omnium rerum preti margaritae tenent. Indicus maxime has mittit oceanus inter illas beluas tales tantasque quas diximus per tot maria venientes tam longo terrarum tractu e tantis solis ardoribus. atque Indis quoque in insulas petuntur et admodum paucas: fertilissima est Taprobane et Stoidis, ut diximus in circuitu mundi, item Perimula promunturium Indiae; praeaeipue autem laudantur circa Arabiam in Persico sinu maris Rubri.

Lolliam Paulinam, quae fuit Gai principis matrona, ne serio quidem aut sollemni caerimoniarum aliquo apparatu sed mediocrium etiam sponsalium cena vidi smaragdis margaritisque opertam alterno textu fulgentibus toto capite, crinibus, [spira] auribus, collo, [monilibus] digitis, quae summa quadringenties sestertium colligebat, ipsa confestim parata mancipationem tabulis probare; [...]

nec haec summa luxuriae exempla sunt. duo fuere maximi uniones per omne aevum; utrumque possedit Cleopatra Aegypti reginarum novissima per manus orientis regum sibi traditos. haec, cum exquisitis cotidie Antonius saginaretur epulis, superbo simul ac procaci fastu, ut regina meretrix, lautitiam eius apparatusque omnem obtrectans, quaerente eo quid adstrui magnificentiae posset respondit una se cena centiens HS absumpturam. cupiebat discere Antonius, sed fieri posse non arbitrabatur. ergo sponsionibus factis postero die, quo iudicium agebatur, magnificam alias cenam, ne dies periret, sed cotidianam, Antonio apposuit inridenti computationemque expostulanti. at illa corollarium id esse, et consummaturam eam cenam taxationem confirmans solamque se centiens HS cenaturam, inferri mensam secundam iussit. ex

praecepto ministri unum tantum vas ante eam posuere aceti, cuius asperitas visque in tabem margaritas resolvit. gerebat auribus cum maxime singulare illud et vere unicum naturae opus. itaque expectante Antonio quidnam esset actura detractum alterum mersit ac liquefactum obsorbuit. iniecit alteri manum L. Plancus, iudex sponsionis eius, eum quoque parante simili modo absumere, victumque Antonium pronuntiavit omine rato. comitatur fama unionis eius parem, capta illa tantae quaestionis victrice regina, dissectum, ut esset in utrisque Veneris auribus Romae in Pantheo dimidia eorum cena.

Book 13, Chapter 21–26: History of Writing & the Invention of Papyrus

Nondum palustria attigimus nec frutices amnium. prius tamen quam digrediamur ab Aegypto et papyri natura dicetur, cum chartae usu maxime humanitas vitae constet, certe memoria. et hanc Alexandri Magni victoria repertam auctor est M. Varro, condita in Aegypto Alexandria; antea non fuisse chartarum usum. in palmarum foliis primo scriptitatum, dein quarundam arborum libris, postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox et privata linteis confici coepta aut ceris: pugillarium enim usum fuisse etiam ante Troiana tempora invenimus apud Homerum, illo vero prodente ne terram quidem ipsam, quae nunc Aegyptus intellegitur, cum in Sebennytico et Saitico nomis charta nascatur, postea adaggeratam Nilo, siquidem a Pharo insula, quae nunc Alexandriae ponte iungitur, noctis dieique velifico navigii cursu terram afuisse prodidit. mox, aemulatione circa bibliothecas regum Ptolemaei et Eumenis, supprimente chartas Ptolemaeo, idem Varro membranas Pergami tradit repertas; postea promiscue patuit usus rei qua constat immortalitas hominum.

Papyrus ergo nascitur in palustribus Aegypti aut quiescentibus Nili aquis ubi evagatae stagnant duo cubita non excedente altitudine gurgitum, bracchiali radice obliquae crassitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine in gracilitatem fastigatum, thyrsi modo cacumen includens, nullo semine aut usu eius alio quam floris ad deos coronandos. radicibus incolae pro ligno utuntur, nec ignis tantum gratia sed ad alia quoque utensilia vasorum; ex ipso quidem papyro navigia texunt et e libro vela tegetesque, nec non et vestem, etiam stragula ac funes. mandunt quoque crudum decoctumque, sucum tantum devorantes.

Praeparatur ex eo charta diviso acu in praetenues sed quam latissimas phyliras; principatus medio, atque inde scissurae ordine. prima hieratica appellabatur antiquitus religiosis tantum voluminibus dicata, quae adulatione Augusti nomen accepit, sicut secunda Liviae a coniuge eius: ita descendit hieratica in tertium nomen. proximum amphitheatricae datum fuerat a confecturae loco. excepit hanc Romae Fanni sagax officina, tenuatamque curiosa interpolatione principalem fecit e plebeia et nomen ei dedit; quae non esset ita recurata in suo mansit amphitheatrica.

nam emporitica inutilis scribendo involucris chartarum segestribusque mercium usum praebet, ideo a mercatoribus cognominata. post hanc papyrum est extremumque eius scirpo simile ac ne funibus quidem nisi in umore utile.

Textitur omnis madente tabula Nili aqua: turbidus liquor vim glutinis praebet. in rectum primo supina tabulae schida adlinitur longitudine papyri quae potuit esse resegminibus utrimque amputatis, traversa postea crates peragit. premitur ergo prelis, et siccantur sole plagulae atque inter se iunguntur, proximarum semper bonitatis deminutione ad deterrimas. numquam plures scapo quam vicinae.

Magna in latitudine earum differentia: XIII digitorum optimis, duo detrahuntur hieraticae, Fanniana denos habet, et uno minus amphitheatrica, pauciores Saitica nec malleo sufficit, nam emporiticae brevis sex digitos non excedit.

praeterea spectantur in chartis tenuitas, densitas, candor, levor. primum mutavit Claudius Caesar. nimia quippe Augustae tenuitas tolerandis non sufficiebat calamis; ad hoc tramittens litteras liturae metum adferebat ex aversis, et alias indecoro visu pertrahenda. igitur e secundo corio statumina facta sunt, e primo subtemina.

Glutinum vulgare e pollinis flore temperatur fervente aqua, minimo aceti aspersu, nam fabrilis cummisque fragilia sunt. diligentior cura mollia panis fermentati colat aqua fervente; minimum hoc modo intergerivi, atque etiam lini lenitas superatur. omne autem glutinum nec vetustius esse debet uno die nec recentius. postea malleo tenuatur et glutino percurritur, iterumque constricta erugatur atque extenditur malleo. ita sint longinqua monimenta: Tiberi Gaique Gracchorum manus apud Pomponium Secundum vatem civemque clarissimum vidi annos fere post ducentos; iam vero Ciceronis ac divi Augusti Vergilique saepenumero videmus.

Celsus, *De medicina*: Proem

Ut alimenta sanis corporibus agricultura, sic sanitatem aegris medicina promittit. Haec nusquam quidem non est, siquidem etiam inperitissimae gentes herbas aliaque promta in auxilium uulnerum morborumque nouerunt. Verum tamen apud Graecos aliquanto magis quam in ceteris nationibus exculta est, ac ne apud hos quidem a prima origine, sed paucis ante nos saeculis. Vt pote cum uetustissimus auctor Aesculapius celebretur, qui quoniam adhuc rudem et uulgarem hanc scientiam paulo subtilius excoluit, in deorum numerum receptus est. Huius deinde duo filii Podalirius et Machaon bello Troiano ducem Agamemnonem secuti non mediocrem opem commilitonibus suis attulerunt; quos tamen Homerus non in pestilentia neque in uariis generibus morborum aliquid adtulisse auxilii, sed uulneribus tantummodo ferro et medicamentis mederi solitos esse proposuit. Ex quo apparet has partes medicinae solas ab is esse temptatas, easque esse uetustissimas. Eodem uero auctore disci potest morbos tum ad iram deorum immortalium relatos esse, et ab isdem opem posci solitam uerique simile est inter nulla auxilia aduersae uoletudinis, plerumque tamen eam bonam contigisse ob bonos mores, quos neque desidia neque luxuria uitiant; siquidem haec duo corpora prius in Graecia, deinde apud nos adflixerunt ideoque multiplex ista medicina, neque olim neque apud alias gentes necessaria, uix aliquos ex nobis ad senectutis principia perducit.

Ergo etiam post eos, de quibus rettuli, nulli clari uiri medicinam exercuerunt, donec maiore studio litterarum disciplina agitari coepit; quae ut animo praecipue omnium necessaria, sic corpori inimica est. Primoque medendi scientia sapientiae pars habebatur, ut et morborum curatio et rerum naturae contemplatio sub isdem auctoribus nata sit: scilicet is hanc maxime requirentibus, qui corporum suorum robora quieta cogitatione nocturnaue uigilia minuerant. Ideoque multos ex sapientiae professoribus peritos eius fuisse accipimus, clarissimos uero ex is Pythagoran et Enpedoclen et Democritum. Huius autem, ut quidam crediderunt, discipulus Hippocrates Cous, primus ex omnibus memoria dignus, a studio sapientiae disciplinam hanc separauit, uir et arte et facundia insignis. Post quem Diocles Carystius, deinde Praxagoras et Chrysippus, tum Herophilus et Erasistratus sic artem hanc exercuerunt, ut etiam in diuersas curandi uias processerint.

Isdemque temporibus in tres partes medicina diducta est, ut una esset quae uictu, altera quae medicamentis, tertia quae manu mederetur. Primam διαιτητικὴν secundam φαρμακευτικὴν tertiam χειρουργίαν Graeci nominarunt. Eius autem, quae uictu morbos curat, longe clarissimi auctores etiam altius quaedam agitare conati, rerum quoque naturae sibi cognitionem uindicarunt, tamquam sine ea trunca et debilis medicina esset. Post quos Serapion, primus omnium nihil hanc rationalem disciplinam pertinere ad medicinam professus, in usu tantum et experimentis eam posuit. Quem Apollonius et Glaucias et aliquanto post Heraclides Tarentinus et aliqui non mediocres uiri secuti ex ipsa professione se empiricos appellauerunt. Sic in duas partes ea quoque, quae uictu curat, medicina diuisa est, aliis rationalem artem, aliis usum tantum sibi uindicantibus, nullo uero quicquam post eos, qui supra comprehensi sunt, agitante, nisi quod acceperat, donec Asclepiades medendi rationem ex magna parte mutauit... Et per hos quidem maxime viros salutaris ista nobis professio increvit.

Pliny's *Natural History*

Book 26, Chapter 28: Medicine and Pharmacology

Plurimum tamen homini negotii alvus exhibet, cuius causa maior pars mortalium vivit. alias enim cibos non transmittit, alias non continet, alias non capit, alias non conficit, eoque mores venere ut homo maxime cibo pereat. pessimum corporum vas instat ut creditor et saepius die appellat. huius gratia praecipue avaritia expetit, huic luxuria condit, huic navigatur ad Phasim, huic profundi vada exquiruntur. et nemo vilitatem eius aestimat consummationis foeditate. ergo numerosissima est circa hanc medicinae opera. sistit eam scordotis recens drachma cum vino trita vel decocta potu, polemonia quae et dysintericis ex vino datur, verbasci radix pota ex aqua duorum digitorum magnitudine, nymphaeae heracliae semen cum vino potum radix superior e xiphio drachmae pondere ex aceto, semen plantaginis in vino tritum vel ipsa ex aceto cocta aut alica ex suco eius sumpta, item cum lenticula cocta vel aridae farina inspersa potioni cum papavere tosto et trito, vel sucus infusus aut potus, vettonica in vino ferro calefacto.

Book 30, Chapter 1–17: Magic

Magicas vanitates saepius quidem antecedente operis parte, ubicumque causae locusque poscebant, coarguimus detegemusque etiamnum. in paucis tamen digna res est de qua plura dicantur, vel eo ipso quod fraudulentissima artium plurimum in toto terrarum orbe plurimisque saeculis valuit.

natam primum e medicina nemo dubitabit ac specie salutari inrepsisse velut altiolem sanctiolemque medicinam, ita blandissimis desideratissimisque promissis addidisse vires religionis, ad quas maxime etiamnunc caligat humanum genus, atque miscuisse artes mathematicas, nullo non avido futura de sese sciendi atque ea e caelo verissime peti credente.

Sine dubio illic orta in Perside a Zoroastre, ut inter auctores convenit. sed unus hic fuerit an postea et alius non satis constat. Eudoxus, qui inter sapientiae sectas clarissimam utilissimamque eam intellegi voluit, Zoroastrem hunc sex milibus annorum ante Platonis mortem fuisse prodidit, sic et Aristoteles.

mirum hoc in primis, durasse memoriam artemque tam longo aevo. maxime tamen mirum est in bello Troiano tantum de arte ea silentium fuisse Homero tantumque operis ex eadem in Ulixis erroribus, adeo ut totum opus non aliunde constet, siquidem Protea et Sirenum cantus apud eum non aliter intellegi volunt, Circe utique et inferum evocatione hoc solum agi.

primus, quod exstet, ut equidem invenio, commentatus est de ea Osthane Xerxen regem Persarum bello quod is Graeciae intulit comitatus, ac velut semina artis portentosae sparsit obiter infecto quacumque commeaverant mundo. diligentiores paulo ante hunc ponunt Zoroastrem alium Proconnensium. quod certum est, hic maxime Osthane ad rabiem, non aviditatem modo scientiae eius Graecorum populos egit. Quamquam animadverto summam litterarum claritatem gloriamque ex ea scientia antiquitus et paene semper petitam. certe Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad hanc discendam navigavere exiliis verius quam peregrinationibus susceptis, hanc reversi praedicavere, hanc in arcanis habuere.

est et alia magices factio a Mose et Janne et Lotape ac Iudaeis pendens, sed multis milibus annorum post Zoroastrem. [...]

Gallias utique possedit, et quidem ad nostram memoriam. namque Tiberii Caesaris principatus sustulit Druidas eorum et hoc genus vatium medicorumque. sed quid ego haec commemorem in arte oceanum quoque transgressa et ad naturae inane pervecta? Britannia hodieque eam adtonita celebrat tantis caerimoniis ut dedisse Persis videri possit. adeo ista toto mundo consensere quamquam discordi et sibi ignoto. nec satis aestimari potest quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandi vero etiam saluberrimum. [...]

Sunt quaedam Magis perfugia, veluti lentiginem habentibus non obsequi numina aut cerni. num obstitit forte hoc in illo? nihil membris defuit. nam dies eligere certos liberum erat, pecudes vero quibus non nisi ater colos esset facile. nam homines immolare etiam gratissimum. Magus ad eum Tiridates venerat Armeniacum de se triumphum adferens et ideo provinciis gravis. navigare noluerat, quoniam expuere in maria aliisque mortalium necessitatibus violare naturam eam fas non putant. Magos secum adduxerat, magicis etiam cenis eum initiaverat, non tamen, cum regnum ei daret, hanc ab eo artem accipere valuit. proinde ita persuasum sit, intestabilem,

inritam, inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis umbras, sed in his veneficas artes pollere, non magicas.

Book 35, Chapter 1–36: Painting

primumque dicemus quae restant de pictura, arte quondam nobili—tunc cum expeteretur regibus populisque—et alios nobilitante, quos esset dignata posteris tradere, nunc vero in totum marmoribus pulsa, iam quidem et auro, nec tantum ut parietes toti operiantur, verum et interraso marmore vermiculatisque ad effigies rerum et animalium crustis. non placent iam abaci nec spatia montes in cubiculo dilatantia: coepimus et lapidem pingere.

Imaginum quidem pictura, qua maxime similes in aevum propagabantur figurae, in totum exolevit. aerei ponuntur clipei argentea facie, surdo figurarum discrimine; statuarum capita permutantur, volgatis iam pridem salibus etiam carminum. adeo materiam conspici malunt omnes quam se nosci, et inter haec pinacothecas veteribus tabulis consuunt alienasque effigies colunt, ipsi honorem non nisi in pretio ducentes, ut frangat heres forasque detrahat laqueo. itaque nullius effigie vivente imagines pecuniae, non suas, relinquunt. iidem palaestrae athletarum imaginibus et ceromata sua exornant, Epicuri voltus per cubicula gestant ac circumferunt secum. natali eius sacrificant, feriasque omni mense vicesima luna custodiunt, quas icadas vocant, ii maxime, qui se ne viventes quidem nosci volunt. ita est profecto: artes desidia perdidit, et quoniam animorum imagines non sunt, negleguntur etiam corporum. aliter apud maiores in atriis haec erant, quae spectarentur; non signa externorum artificum nec aera aut marmora: expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quae comitarentur gentilicia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat familiae eius qui umquam fuerat populus. stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas. tabulina codicibus implebantur et monumentis rerum in magistratu gestarum. aliae foris et circa limina animorum ingentium imagines erant adfixis hostium spoliis, quae nec emptori refigere liceret, triumphabantque etiam dominis mutatis aeternae domus. erat haec stimulatio ingens, exprobrantibus tectis cotidie inbellem dominum intrare in alienum triumphum. exstat Messalae oratoris indignatio, quae prohibuit inseri genti suae Laevinorum alienam imaginem...

sed—pace Messalarum dixisse liceat—etiam mentiri clarorum imagines erat aliquis virtutum amor multoque honestius quam mereri, ne quis suas expeteret.

Non est praetereundum et novicium inventum, siquidem non ex auro argentove, at certe ex aere in bibliothecis dicantur illis, quorum immortales animae in locis iisdem loquuntur, quin immo etiam quae non sunt finguntur, pariuntque desideria non traditos vultus, sicut in Homero evenit. utique maius, ut equidem arbitror, nullum est felicitatis specimen quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. [...]

De picturae initiis incerta nec instituti operis quaestio est. Aegyptii sex milibus annorum aput ipsos inventam, priusquam in Graeciam transiret, adfirmant, vana praedicatione, ut palam est; Graeci autem alii Sicyone, alii aput Corinthios repertam, omnes umbra hominis lineis circumducta, itaque primam talem, secundam singulis coloribus et monochromaton dictam, postquam operosior inventa erat, duratque talis etiam nunc. [...]

Iam enim absoluta erat pictura etiam in Italia. exstant certe hodieque antiquiores urbe picturae Ardeae in aedibus sacris, quibus equidem nullas aequae miror, tam longo aevo durantes in orbitate tecti veluti recentes. similiter Lanuvi, ubi Atalante et Helena comminus pictae sunt nudae ab eodem artifice, utraque excellentissima forma, sed altera ut virgo, ne ruinis quidem templi concussae. Gaius princeps tollere eas conatus est libidine accensus, si tectorii natura permisisset. durant et Caere antiquiores et ipsae, fatebiturque quisquis eas diligenter aestimaverit nullam artium celerius consummatam, cum Iliacis temporibus non fuisse eam appareat. [...]

aequales eius et aemuli fuere Timanthes, Androcydes, Eupompus, Parrhasius. descendisse hic in certamen cum Zeuxide traditur et, cum ille detulisset uvas pictas tanto successu, ut in scaenam aves advolarent, ipse detulisse linteum pictum ita veritate repraesentata, ut Zeuxis alitum iudicio tumens flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore, quoniam ipse volucres fefellisset, Parrhasius autem se artificem. fertur et postea Zeuxis pinxisse puerum uvas ferentem, ad quas cum advolassent aves, eadem ingenuitate processit iratus operi et dixit: ‘uvas melius pinxi quam puerum, nam si et hoc consummassem, aves timere debuerant.’